



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE
BOLLETTINO

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0396

Sabato 25.06.2011

**LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL 350°
ANNIVERSARIO DEL SANTUARIO MARIANO DI WERL (ARCIDIOCESI DI PADERBORN,
GERMANIA) (2 LUGLIO 2011)**

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL 350° ANNIVERSARIO
DEL SANTUARIO MARIANO DI WERL (ARCIDIOCESI DI PADERBORN, GERMANIA) (2 LUGLIO 2011)

In data 19 maggio 2011, il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato l'Em.mo Card. Reinhard Marx, Arcivescovo di München und Freising, Suo Inviato Speciale alle celebrazioni del 350° anniversario del Santuario Mariano di Werl (Arcidiocesi di Paderborn, Germania) che avranno luogo il 2 luglio 2011.

Il Cardinale Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione composta dai seguenti ecclesiastici:

- Rev.do Mons. Wilhelm Hentze, Preposito del Capitolo Metropolitano;
- Rev.do Mons. Theodor Ahrens, Canonico del Capitolo Metropolitano.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Reinhard Marx:

• **LETTERA DEL SANTO PADRE**

Venerabili Fratri Nostro
Rainardo S.R.E. Cardinali Marx
Archiepiscopo Metropolitae Monacensi et Frisingensi

Veniens Mater inclita, cum Sancti dono Spiritus, in gremio Christum baiulans, salutem fert Ecclesiae. Beati ergo omnes qui per saeculorum decursum Salvatoris Matrem requirunt, fidenter invocant devoteque colunt. Pulchre enim dicit ei sanctus Bernardus sua in celeberrima oratione: "Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua recurrentem praesidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia, esse derelictum".

Quod Nos quoque saepius experti sumus; quapropter laeto animo percepimus hoc anno in sanctuario Verlensi

singulares perfici celebritates, CCCL expletis annis a quo venusta effigies Beatissimae Virginis Mariae illuc est allata. Persuasum enim habemus hoc fovere posse spiritale bonum christifidelium novamque evangelizationem huius regionis. Cum ergo Venerabilis Frater Ioannes Iosephus Becker, Archiepiscopus Metropolita Paderbornensis, certiores Nos fecerit de sollemni illic liturgia celebranda in Visitatione Beatae Mariae Virginis, inenute scilicet mense Iulio, Nos Patrem quendam Purpuratum libentes ad celebre Verlense sanctuarium mittere statuimus qui personam Nostram gerat. Te quidem, Venerabilis Frater Noster, qui Nobis dilectae Monacensi et Frisingensi Ecclesiae digne praees atque de catholica fide proclamanda ac tuenda es sollicitus, ad honorificam hanc missionem destinamus. Quapropter hisce Litteris **Nostrum Missum Extraordinarium** te nominamus ad supra dicti iubilaei sollemne officium die II proximi mensis Iulii peragendum.

Liturgicis celebrationibus Nostro nomine praesidebis Nostramque benignam istic adstantibus significabis salutationem, praesertim eiusdem communitatis Pastori Venerabili Fratri Iohanni Iosepho Becker ceterisque Fratribus in Episcopatu nec non civilibus auctoritatibus. Populum deinde congregatum prudenter hortaberis ut Beatam Virginem Mariam pientissime colant et una cum ea Deum magnificent, "quia respexit humilitatem ancillae suae, ... qui potens est, et sanctum nomen eius, et misericordia eius in progenies et progenies timentibus eum" (*Lc* 1,48-50). Hoc autem nunc maximi videtur momenti, quoniam, tertio inito christianae aetatis millennio, ad novam Europae evangelizationem est procedendum simulque vetera huius continentis pretiosa, humana christianaque spiritalia bona sunt detegenda.

Nos precibus tuam sustinebimus magni ponderis missionem, dum iam nunc enixe te, Venerabilis Frater Noster, committimus amantissimae tutelae sanctae Dei Genetricis ac semper purissimae Virginis Mariae. Apostolicam denique Nostram Benedictionem prolixè tibi imprimis elargimur, cum omnibus ad quos nunc mitteris communicandam.

Ex Aedibus Vaticanis, die XVII mensis Iunii, anno MMXI, Pontificatus Nostri septimo.

BENEDICTUS PP. XVI

[01010-07.01] [Testo originale: Latino]
